

entibus, et sub eo respectu concipitur ut *universalis*; hinc notiones universales *primitivæ*.

4^o Intellectus noster, comparatis semel *primariis* et *universalioribus* ideis, nempe ideâ entis, substantiæ, causæ, effectûs, aliisque hujusmodi, assurgere potest, earum ope, ad cognitionem rerum immaterialium et ipsius Entis primi, absolutè necessarij, quod admitti debet ut explicetur adspectabilis hujus mundi contingens existentia.

181. *Differentia essentialis viget igitur inter D. Thomæ sententiam et sensualismum lockianum.* Ab eo enim distinguitur cum ex parte *objecti*, tum ex parte *subjecti*; Lockius quippe idem sensibus et intellectui objectum assignat, nec in rebus aliquid agnoscit præter phænomenorum vel proprietatum collectionem; intellectum autem sive reflexionem inducit veluti potentiam quamdam *passivam, secundariam*, quæ in se recipiat objectum a sensibus apprehensum, ut illud iterum inspiciat. Unde absolutè jam dicitur: « *Nihil est in intellectu, nisi prius fuerit in sensu.* » — Econtrario, in sententiâ Doctoris Angelici, intellectus eximiâ pollet activitate, et attingit objectum a sensuum objecto *specificè* distinctum, nempe rerum essentiam, ex quâ paulatim ac vi ratiocinii assurgit ad immateriale purum et absolutum.

ARTICULUS II

Probatur sententia S. Thomæ cæteræque refelluntur, quatenus vel defectu, vel excessu peccant.

182. *Ad originem idearum universalium planè persolvendam requiritur et sufficit sententia S. Thomæ.*

Requiritur. Nam sensualismi ac transcendentalismi systemata, quæ simpliciori ratione quæstionem hanc suscipiunt explicandam, nequaquam sufficiunt.

183. **Assertio 1^a:** *Explicandæ idearum origini impar est sensualismus, sive ad mentem Lockii, sive ad mentem Condillachii ac Stuart Mill proponatur, et falsa trahit consecutaria.*

PROB. 1^a PARS. — 1^o *Sensualismus lockianus explicare nequit ideas universales, immateriales et absolutas vel necessarias.* Etenim omnes nostras cognitiones petit ex sensatione et ex reflexione in sensationem. Sed ex probatis suprâ (n. 38), et ex ipsâ Lockii confessione, *sensatio* ultra particulare, materiale, contingens et phænomenicum haud porrigitur; reflexio verò in objectum sensile et in operationes internas quibus attingitur, nec objecti, nec facultatis sensilis naturam mutare potest. — Sanè reflexionis luce, objectum sensile magis distinctum præbere se potest cognoscenti, non autem aliam induere naturam, et ex singulari, materiali, mutabili, universale, immateriale, immutabile vel absolutum evadere.

2^o *Logicè ducit ad systema sensationis transformatæ.* Enimvero nullum aliud reflexioni attribuit munus, nisi ut redeat in objectum sensu apprehensum et in operationes internas quibus apprehensum est; unde non superest homini nisi facultas cognoscendi sensilia, et intellectus non est jam nisi forma perfectior sensibilitatis.

PROB. 2^a PARS, tum quia, juxta Condillachium, sensatio est merè passiva, et proinde seipsam transformare haud potest; tum quia etiamsi activa supponeretur, non tamen posset transformare se in *ideam, judicium* aut *ratiocinium*, quippe quæ, ut constat ex jam probatis (n. 93) *specificè* differunt a sensatione, et proinde ab eâ non valent oriri.

PROB. 3^a PARS (1) quia *associatio* et *hæreditas* explicare non queunt notam *absolutæ necessitatis* quâ fruuntur ideæ quædam universales, v. g. principia: *Idem non potest esse et non esse; quidquid incipit habet causam*, et alia permulta. Ratio est quia, fatentibus Stuart Mill et Spencer, associatio et hæreditas versantur totæ circa sensationes quæ, ex dictis, nihil nisi *empiricum* et contingens exhibent.

Confirmatur, quia inter ideas nostras generales ipsi sponte distinguimus; nam leges physicas, tametsi generales, contingentes esse judicamus, principia autem metaphysica et

(1) Cf. *La Vie et l'Hérédité*, p. 185-190.

moralia pro absolutis et necessariis habemus, quamvis in utroque casu eadem sit vis associationis aut hæreditatis.

PROB. 4^a PARS. Etenim 1^o sensualismus, quocumque modo explicetur, *scientiam omnem generatim* evertit. Quippe omnis scientia nititur in notionibus quibusdam universalibus et principiis absolutis, maximè verò in principiis contradictionis et causalitatis. Atqui sensualismus has notiones, hæc principia vel flatus esse vocis declarat, vel minimè gignere potest, cum totus sistat in *contingenti et phænomenico*. — 2^o Evertit etiam præcipuas Philosophiæ notiones; v. g. *substantia* non est jam nisi proprietatum sensu perceptarum collectio, *anima humana gradu tantum* differt ab animâ belluinâ, quia et ipsa intimè pendet ab organis; *persona* in dies mutatur pro sensationum variatione et solvitur omnino ejus identitas; aut *Deus* non existit, quippe quod illius existentiam adstruere non licet, negato vel ignorato causalitatis principio; aut si admittatur, concipi debet veluti suprema collectio phænomenorum naturæ; ac demum bonum *morale* est quod mentem jucundâ, malum quod injucundâ sensatione afficit. — Quare philosophorum plurimi qui amplexi sunt sensualismum, in atheismum et materialismum sponte suâ dederunt se præcipites.

184. Assertio 2^a: *Explicandæ idearum universalium origini impar est transcendentalismus, sive ad mentem Kantii, sive ad mentem Fichtei proponatur.*

PROB. 1^a PARS. — 1^o *Kantius idearum vim objectivam tollit*; siquidem nomine tantum admittit elementum materiale cogitationis, quod totum subjicit subjecto cogitanti; quare habet ideas ut *formas merè subjectivas*, a constitutione animi, quæ alia esse potuisset, promanantes. Unde intellectus humanus fit *mensura rerum*, nedum ab eis *measuretur*.

2^o *Absurdè fingit judicia synthetica a priori*, in quibus tamen sui systematis fortunam præcipuè reponit; vel enim relatio inter subjectum et attributum ex simplici utriusque analysi percipitur, et judicium dicitur a priori seu analyticum; vel ea relatio contingens est, et experientiâ solum manifestata, et judicium dicitur a posteriori sive syntheticum. Ergo

judicia synthetica a priori, si qua darentur, essent simul a priori et a posteriori, quod contradictionem involvit.

PROB. 2^a PARS. — Nam *Fichteus* non seriò philosophatur cum asserit nihil in mundo existere præter το εγω, et animam in cognitionem rerum venire, ex eò quòd eas producit, et seipsam cognoscere eo actu quo se creat. Quippe harum assertionum 1^a pantheistica est, 2^a confundit cognitionem cum creatione et rerum creationem homini attribuit; 3^a verò absurdè fingit animam esse sui ipsius causam simul et effectum.

185. Assertio 3^a: *Sententia S. Thomæ sufficit ad originem idearum plane persolvendam, et multis aliis rationibus vehementer comprobatur (1).*

PROB. 1^a PARS. — Enimvero sententia illa in duobus nititur: nimirum 1^o universale et necessarium potentialiter et fundamentaliter rebus inesse, et 2^o perferri ab intellectu, ope abstractionis et comparisonis, ita ut generentur ideæ universales et necessariae. Sed hæc duo constant.

Constat 1^{um}; quia 1 rebus singularibus inest essentia quædam necessaria, absoluta, vi cujus in tali vel tali specie continentur, habentque potiùs eam quàm aliam naturam; v. g. essentia hominis ex animalitate et rationabilitate constat. — 2 Essentia rerum singularium ab iis per abstractionem separari potest: v. g. animalitas et rationabilitas ab *hoc* homine per abstractionem separari valent, siquidem essentia realiter distinguitur ab individuo, et humanitas a tali homine. — Imò verò essentia, quantum in se est, nullum ordinem dicit ad res singulares estque indifferens ad eas: v. g. essentia hominis indifferens est ad existendum in Socrate, vel in Platone, quia omnis essentia ex se generalis est. — 3 Experientiâ teste, eadem essentia pluribus rebus *communis* est; si enim singulæ res proprias notas habent, plures etiam habent notas communes: e. g. varia animalia et varii homines communibus proprietatibus insigniuntur. Propterea, si quis consideret res varias, quatenus propriis notis gaudent, ha-

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 3, p. 59-79.

bebit notiones *singulares*; si autem ope abstractionis et comparisonis, eas inspiciat, quatenus communibus notis seu communi essentiâ gaudent, habebit notiones *universales*. —
4 Habebit etiam *necessarias*, quia universale sese exhibet ut absolutum, ab omni tempore et loco independens.

Constat 2^{um}; nam 1^o intellectus habere *debet* perfectiùs vim abstrahendi quæ aliquo modo inest ipsis sensibus.
« Porro, ut ait D. Thomas, hoc possumus videre per simile
« in *sensu*. Visus enim videt colorem pomi *sine* ejus odore.
« Si ergo quæretur ubi sit color qui videtur *sine* odore, manifestum est quòd color qui videtur, non est nisi in pomo.
« Sed quòd sit *sine* odore perceptus, hoc accidit ei ex parte
« visus, in quantum in visu est similitudo coloris et non odoris ». (1^a, q. 85, a. 2, ad 2).

Item *imaginatio* potest inter se componere varias rerum formas sensibus perceptas, et alias efficere quibus nihil respondeat in naturâ : v. g. potest fingere montem aureum, licet eum in naturâ sensus non perceperint, sed tantum aurum et montem. Ergo *a fortiori* intellectus, utpote facultas *spiritualis*, proprietates rerum individuarum potest abstrahere, communes inter se conferre, sicque assurgere ad notiones pluribus entibus communes. Sed hoc nihil aliud est nisi ex singularibus rebus notiones *universales* comparare, ut vult sententia scholastica.

2^o Non tantum *potest* sic procedere, sed *revera* sic procedit intellectus humanus in suis comparandis ideis, ut *factis* multis demonstratur. Nam pueri nullas primum ideas habent nisi particulares sensilesque, at sensim proficiente intellectus vigore rerum essentiam et varias relationes investigant, ad spiritualia lento conatu eriguntur, et capiunt demum universalia principia. — Experientiâ quoque declaratur *evolvi* pedetentim rationem *pro* facultatum sensitivarum progressu et notionum particularium adeptione; nosque ope sensilium in spiritualium rerum notitiam venire, cum et spiritualia ipsa nonnisi per comparisonem ad sensilia intelligamus, et sine sensili phantasmate concipere minimè valeamus.

PROB. 2^a PARS, videlicet D. Thomæ sententiam multis aliis rationibus commendari.

1^o *Simplicitati consulit*; ea enim theoria præ aliis simplex meritò dicitur, quæ non plus requirit quàm necesse est ad solvendam quæstionem propositam, et quæ non frustra multiplicat elementa vulgò *a priori*. Sed talis est D. Thomæ sententia; non enim ad ideas innatas, vel ad visionem Dei, vel ad revelationem gratis confugit, sed duplex tantum ponit elementum ad explicandum originem idearum, scilicet aliud ex parte objecti circa quod occupatur cogitatio, aliud verò ex parte subjecti cogitantis, ita ut sufficiat præsentia objecti intelligibilis, et potentia intelligendi. — Jam ex clarâ eâ simplicitate veritas illius comprobatur. Nam axiomatis loco habetur *nihil debere esse frustra in operibus sapientis*, et *naturam nulli deesse in necessariis, sed non in superfluis abundare, vel frustra fieri per plura, quod fieri potest per pauciora* (1).

2^o *Sectatur methodum verè scientificam*, non *a priori*, sed *a posteriori* procedens, ascendens nempe ex particulari ad universale, ex facto ad legem, ex effectu ad causam, unde et idearum nostrarum objectivitati sapienter consulit.

3^o *Optimè respondet hominis naturæ*. — Ut enim fert axioma, *operatio sequitur esse*, i. e. *unumquodque ens secundum quod est operatur*. Porro, ut intellectus humanus secundum naturam suam operetur, oportet ut sensim ex potentiâ transeat ad actum ac pedetentim ideas suas assequatur (2), et ex sensibus earum *materiam* colligat. Et ratio est quia ultimum locum tenet inter substantias intellectuales et substantialiter unitur sensibus. Sed ita se res habet in D. Thomæ sententiâ.

4^o *Sapienti utitur eclectismo*; nam si quid recti habeant alia systemata, id omne colligit, iis tantum derelictis quæ excessu

(1) « La nature est comme un bon ménager, qui épargne là où il faut, pour être magnifique en temps et lieu. Elle est magnifique dans ses effets et ménagère dans les causes qu'elle emploie. » (N. E., I. III, ch. VIII, n. 33).

(2) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 3, p. 74-76.

laborant. Nam cum sensualistis, in intellectuali cognitione magnam partem sensibus attribuit; cum idearum innatarum patronis, innatam agnoscit *facultatem* ideas adinveniendi, unde prima principia quodammodo naturaliter indita esse asserit; partim Kantio assentit, ubi intellectum idearum suarum facit *artificem*. — Duo cum Ontologistis propugnat, nempe res externas a Deo habere quòd sint, ac proinde quòd sint intelligibiles, et rationem nostram esse quamdam participatam similitudinem divini luminis. Quanquam igitur ideas nostras accipimus ex rerum mundanarum spectaculo, tamen cum ideis divinis ipsæ analogiam habent et ab iis quodammodo derivantur. Nam res externæ ad imitationem divinarum idearum sunt conditæ, et in intellectu nostro sese recipiunt juxta formam aliquâ parte similem ei quam habent in intellectu Dei. Hoc sensu dixit Angelicus ideas nostras esse *participationem* quamdam idearum æternarum: « Et sic « necesse est dicere quòd anima humana omnia cognoscat in « rationibus æternis, per quarum participationem omnia « cognoscimus » (1^a, q. 84, a. 5, c).

186. Assertio 4^a : *Rejiciendum est systema idearum innatarum.*

I. *Falso nititur fundamento*, ut patet ex falsitate diversarum rationum quibus utuntur diversi ejus fautores.

1^o Plato supponit *præexistentiam* animæ, et ejus *accidentalem* conjunctionem cum corpore. Atqui hæc duo absurda esse suo loco ostendemus.

2^o Cartesius in eo reponit suum systema, quòd essentia animæ in cogitatione constat; id autem a veritate alienum esse infrà probabitur.

3^o Leibnitzius intellectum humanum cum intellectu divino perperam confundit. Nam solus Deus, *vi essentiæ suæ*, repræsentationem omnium rerum, quarum est causa, continet; anima verò, cum finita sit et a cæteris rebus mundanis *specificè* distincta, repræsentationem earum, *vi essentiæ suæ*, habere minimè potest. (Cf. S. Th., 1^a, q. 84, a. 2).

4^o Rosminio duo possunt objici : 1^o tam superflua est idea innata entis idealis, quàm aliæ ideæ, quia sine eâ intellectus

facile concipitur; 2^o falsum est ab illâ reliquas ideas *derivari*; quippe sunt *specificè* diversæ : v. g., alia est notio substantiæ, causæ, effectûs, veri, pulchri, boni, et ita porro; ac proinde in ideâ entis, maximè verò in ideâ entis idealis, non continentur, et ab eâ non possunt educi.

II. *Excessu peccat*. Ut enim fert axioma : *Non sunt multiplicanda entia sine ratione sufficienti*. Porro ideæ innatæ sine ratione sufficienti inducuntur; quippe quòd, ex probatis supra (n. 185) potest intellectus abstractionis et comparationis operâ, ideas universales sibi comparare. Ergo frustra in animâ pueri nascentis a Deo inseruntur ut longo tempore maneant *sopitæ, otiosæ, inertes* (1).

Ex aliâ parte, hoc systema minuit vim rationis humanæ, quam negat esse parem ad ideas suas activitate propriâ comparandas.

III. *Idealismo favet*. Etenim 1^o in tantum objectivitas idearum nostrarum constare potest, in quantum eas ex rebus ipsis comparamus. Porro ideæ innatæ non ex rebus comparantur, sed habentur ut formæ quædam intellectûs *a priori* inditæ.

Adversarii, ut se ab idealismo eripiant, ad Deum confugiunt, a quo ideæ nostræ habent unde rebus ipsis conveniant. Ast autem argumentatio ista circulo laborat; nam ab ideis nostris probatur existentia necnon veracitas Dei; ac proinde ex veracitate Dei desumi nequit objectivitas seu

(1) Sapienter Lockius : « Si j'avais affaire à des lecteurs dégagés de « tout préjugé, je n'aurais pour les convaincre de la fausseté de cette sup- « position (des idées innées), qu'à leur montrer que les hommes peuvent « acquérir toutes les connaissances qu'ils ont, par le simple usage de « leurs facultés naturelles, sans le secours d'aucune impression innée... « car il serait ridicule de supposer que les idées des couleurs ont été im- « primées dans l'âme d'une créature, à qui Dieu a donné la vue et la puis- « sance de recevoir les idées par l'impression que les objets extérieurs « feraient sur ses yeux. Il ne serait pas moins absurde d'attribuer à des « caractères innés la connaissance que nous avons de plusieurs vérités, si « nous pouvons remarquer en nous-mêmes des facultés propres à nous « faire connaitre ces vérités avec autant de facilité et de certitude que si « elles étaient originaires gravées dans notre âme. » (*Essais sur l'entend. hum.*, l. 1, c. 1).

veritas idearum nostrarum; alioquin probatur prius per posterius, et posterius per prius.

2^o Insuper, phænomena naturalia naturaliter etiam sive per causas naturales et secundas explicanda sunt, nec attribui oportet Deo, qui est tantum causa prima, effectus proprios causarum secundarum. Atqui intellectus noster tam aptus est ad ideas propriâ vi acquirendas, quam sensus ad sentiendum, et voluntas ad volendum; cuiuslibet enim potentiæ certa inest inclinatio ad suas operationes exerendas.

187. Assertio 5^a : Falsus est Ontologismus, sive philosophicè, sive theologicè spectetur (1).

PROB. 1^a PARS, quia falso nititur fundamento, arguit aliquid impossibile, et conscientia adversatur.

I. Falso nititur fundamento. — Hæc est enim palmaris ratio Ontologistarum : habemus ideas universales, necessarias et æternas. Sed ideæ hujusmodi sunt in solo Deo, imò sunt ipse Deus; ergo eas in Deo et Deum in quo sunt immediatè percipimus.

R. Dist. maj. et tria momenta quæ in ipsâ tanguntur; dist. min. eodem sensu, neg. conseq.

1^o Habemus ideas universales, dist., quæ in intellectu nostro fruuntur notâ universalitatis actualis, conc.; quæ attingunt aliquod ens universale actu extra mentem existens, in quo eas contemplerur, neg. Quippe, ex probatis (n. 183), universale potentiâ et fundamentaliter existit in rebus, et intellectus noster, vi abstractionis sibi a naturâ inditâ, illud universale actu efficit, ubi considerat certas notas rebus pluribus convenire posse ac revera convenire.

2^o Habemus ideas necessarias, necessitate logicâ et ideali, conc.; necessitate reali et concretâ, ita ut attingant immediatè ens concretum, absolutè necessarium, neg. Et sanè conceptiones animi nostri, utpote a rebus externis abstractæ, non referuntur ad ens necessarium, concretum ac per se subsistens, sed exhibent duntaxat varias rerum relationes. E. g. principia contradictionis et causalitatis præferunt quidem

(1) Cf. Histoire de la Philos., 3^e part., c. 3, n. 9.

aliquid absolutum, sed merè abstractum et ideale; abstrahunt enim ab ordine reali, et in ordine possibilium continentur.

3^o Habemus ideas æternas, dist., æternitate negativâ præditas, unde abstrahunt a tempore et ab intellectu concipiuntur velut nulli per se tempori affixæ, conc.; æternitate positivâ donatas, independenter a quovis intellectu, neg. Appositè D. Thomas. « Aliquid esse semper et ubique potest « intelligi dupliciter. Uno modo, quia habet in se unde se « extendat ad omne tempus et ad omnem locum; sicut Deo « competit esse ubique et semper. Alio modo, quia non « habet in se quo determinetur ad aliquem locum vel tempus, « et per hunc modum quodlibet universale dicitur esse ubique et semper, in quantum universalia abstrahuntur ab « hic et nunc. Sed ex hoc non sequitur ea esse æterna, nisi in « intellectu, si quis sit æternus. » (1^a, q. 16, a. 7, ad 2, et c).

4^o Præterea, ideæ universales spectari debent non tantum objectivè, seu ex parte objecti quod repræsentant; sed etiam subjectivè, seu quatenus in intellectu nostro recipiuntur. Porrò si hoc modo inspiciantur, sunt forma et affectio quædam contingens et particularis intellectûs nostri, quæ nihil absolutum aut æternum exhibet.

II. Arguit aliquid impossibile; quia nullus intellectus creatus, ac multò minùs intellectus noster, Deum naturali ac propriâ vi intueri potest immediatè (1). Enimvero res aliqua immediatè a nobis cognoscitur, vel per propriam speciem, vel per propriam essentiam immediatè intellectui nostro conjunctam. Atqui neutro modo Deum immediatè ac naturaliter percipere potest intellectus quispiam creatus.

(1) Jam notaverat Aristoteles intellectum humanum comparari ad manifestatissima naturæ, ut oculum noctuæ ad lumen solis. « Addereque nos « possumus, ait Suarezius, infinitâ inæqualitate seu disproportione distare magis quemlibet intellectum creatum ab increato lumine divino, « quam oculum noctuæ a lumine solis; si ergo non solum oculus noctuæ, verum etiam multi alii perfectiores non possunt solem in se directè intueri, quid mirum est, quòd sit Deus invisibilis omni intellectui « creato, propriâ et naturali virtute operanti? » (Metaph., disp. xxx, sect. 11).

Non primo; quia, ut dicit S. Thomas, « divina essentia est
« aliquid *incircumscriptum*, continens in se supereminenter
« quidquid potest significari vel intelligi ab intellectu creato.
« Et hoc nullo modo per aliquam *speciem* creatam repræsen-
« tari potest; quia omnis forma creata est *determinata* secun-
« dùm aliquam rationem vel sapientiæ, vel virtutis, vel ipsius
« esse, vel alicujus hujusmodi. Unde dicere Deum videri per
« similitudinem, est dicere divinam essentiam non videri. »
(1^a q. 12, a. 2, c).

Non secundo; scilicet per immediatam conjunctionem cum Dei
essentiâ intellectus creatus nequit Deum naturaliter intueri.
In eo casu essentia Dei fungeretur munere speciei intelligi-
bilis relativè ad intellectum quem immediatè informaret. Sed
nulli intellectui creato naturalis inest proportio ut essentiâ
Dei, veluti specie intelligibili, informetur, siquidem non est
ejusdem ordinis seu generis ac divina essentia. Nam 1^o Deus
nullo genere continetur, sed omnia genera excedit; 2^o ita est
simplex, ut non distinguatur ejus *esse* ab essentiâ; creatura
autem quælibet in certo genere est collocata, et limitibus ejus
generis circumscribitur; unde nullam proportionem habet ad
essentiam divinam in se recipiendam veluti formam intelli-
gibilem, nec ad tantam dignitatem evehi potest, nisi *lumine*
gloriæ supernaturaliter confortata, supra conditionem pro-
priam elevetur (1).

(1) Ontologistæ multi hoc fatentur, atque ut se ab inextricabili difficul-
tate istâ videantur expedire, confugiunt ad *distinctiones* satis inauditas.
Juxta plures, non Dei quidem essentiam immediatè percipimus, sed tan-
tùm illius *attributa*; juxta alios, non percipimus Deum nisi sub ratione
absolutâ *entis*; alii demum seriò pronuntiant distingui oportere visio-
nem Dei *intuitivam*, et visionem, ut dicunt, *extuitivam*: prior *beatiss*,
posterior nobis conceditur.

Porrò distinctiones istæ triplici urgentur incommodo; nam 1^o demons-
tratur in Theologiâ naturali non realiter distingui in Deo esse, essentiam
et attributa, sed Deum esse actum purissimum, et hunc simplicissimum.
2^o Admissâ etiam reali distinctione inter essentiam, esse et attributa Dei,
eadem remanet difficultas; siquidem esse Dei infinitum est sicut ipsius
attributa vel essentia, nec est minùs inaccessum nostri intellectûs intui-
tioni quàm divina essentia. — 3^o Si Deus a nobis percipitur tantùm sub
ratione generali entis, jam assignari nequit origo notionum substantiæ,

III. *Conscientiæ testimonio adversatur*. Si enim Deum im-
mediatè perciperemus, perceptionis illius conscios nos esse
oporteret, nec tantùm laborandum foret ad eum nobis repræ-
sentandum. Porrò, fatentibus ontologistis, intuitionis Dei
conscii non sumus. Equidem multa peraguntur in nobis,
quorum levem vel nullam conscientiam habemus; sed ea vel
pertinent ad vitam vegetativam, vel parvi sunt momenti,
et citò prætervolant, unde *attentionem* animi non movent. At
feri nequit ut conscientiam nostram lateat actus intellectûs
perpetuus ac *primarius*, qualis est intuitio Dei, quam Onto-
logistæ afferunt veluti *fontem* omnium idearum.

PROB. 2^a PARS, nempe *Ontologismum theologicè falsum esse*.
Id porrò duplici potissimum (1) ratione declarare est, scilicet
damnatis nonnullis propositionibus, et ratione theologicâ,
seu ex consecrariis Ontologismi.

1^o Ab *Inquisitionis* sacrâ congregatione recens prohibita
sunt tanquam non tutò tradendæ sequentes propositiones,
quarum 1^a, 4^a et 5^a Ontologismum rigidum continent, 3^a au-
tem Ontologismum etiam mitigatum.

PROP. 1^a: *Immediata Dei cognitio, habitualis saltem, intel-
lectui humano essentialis est, ita ut sine eâ nihil cognoscere pos-
sit: siquidem est ipsum lumen intellectuale.*

PROP. 2^a: *Esse illud quod in omnibus, et sine quo nihil intel-
ligimus, est esse divinum.*

causæ, veri, pulchri, boni aliarumque; quippe cum, ex probatis, ideæ
universales specificè inter se differant, nec proinde ex solâ ideâ entis
educi possint.

(1) Non satis etiam consonat litteris sacris, in quibus duplex modus
cognoscendi Deum prædicatur, alius *viatoribus*, alius *beatiss* proprius.
Sed in eo alter ab altero distinguitur, quòd homines viatores Deum non
videant in se aut immediatè, sed ad ipsum ascendant rerum visibilium
spectaculo, dum beati immediatè ac facie ad faciem Deum intuentur. En
D. Pauli verba: « Invisibilia ipsius (Dei) a creaturâ mundi, per ea quæ
« facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et
« divinitas. » (*Rom.*, 1, 20). « Videmus nunc per speculum et in ænigmate;
« tunc autem facie ad faciem. » (1 *Cor.*, XIII, 12). Porrò Ontologistæ, his
etiam in terris, Deum immediatè et in se a nobis apprehendi arbitrantur:
unde sequitur non duplici modo specie diverso Deum innotescere, sed
uno tantùm, videlicet immediatè.

PROP. 3^a: *Universalia, a parte rei considerata, a Deo realiter non distinguuntur.*

PROP. 4^a: *Congenita Dei tanquam entis simpliciter notitia, omnem aliam cognitionem eminenti modo involvit, ita ut per eam omne ens, sub quocumque respectu cognoscibile est, implicitè cognitum habeamus.*

PROP. 5^a: *Omnes aliæ ideæ non sunt nisi modificationes ideæ quæ Deus tanquam Ens simpliciter intelligitur. (18 septemb. 1861) (1).*

Accedit quòd libri non paucorum Ontologistarum a congregatione *Indicis*, ne docerentur prohibiti sunt, ut accidit plerisque Malebranchii et Giobertii libris. Nuper autem, post damnatas propositiones quas supra retulimus, multa mitiorum etiam Ontologistarum opera improbata fuerunt, quippe quæ a damnatis propositionibus non satis recederent.

2^o *Ontologismus rigidus pantheismo viam sternit.* Nihil enim est quod eo ipso intelligibile non sit, et quidquid propriâ caret intelligibilitate, propriâ etiam entitate caret. Atqui, docentibus Malebranchio et Giobertio, res propriâ intelligibilitate destituuntur, nec nisi in Deo sunt intelligibiles; ergo sequitur eas non in se, sed in Deo solo existere; quod quadrat in pantheismum.

3^o *Ontologismus etiam mitior viam sternit rationalismo,* cum ordinem supernaturalem a naturali ordine non specie, sed gradu tantum secernat. Etenim ordo supernaturalis a naturali ordine specie differt, quatenus in priore Deus prout in se est, immediatè apprehenditur vel revelatur; in posteriore autem non immediatè, nec prout in se est attingitur, sed tantum indirectè, quatenus ejus existentia et attributorum aliqualis notitia ratiocinio colligitur. At juxta Ontologistas, vel in ordine naturali Deus immediatè percipitur et

(1) Damnatae adhuc sunt duæ istæ propositiones: « A primo existentia instanti mens perceptione ideali fruitur, non quidem reflexè, sed directè. » — « Inter veritates intelligibiles quas idealiter apprehendimus imprimis reponitur Deus, cujus intellectio, licet ab intuitionem beatorum essentialiter distincta, non ad imaginem repræsentativam, sed ad Deum ipsum terminatur » (1862).

quidem ipsa Dei essentia percipiatur oportet, cum non sit reale discrimen inter esse Dei et ejus essentiam aut attributa. Ergo, naturalis ordo a supernaturali differre non potest, nisi quòd Deus in altero imperfectiùs quàm in altero percipiatur. *Sed magis et minus non mutat speciem.* — Unde S. Thomas: « Visio beati a visione viatoris distinguitur, non « per hoc quòd est perfectiùs, vel minus perfectè videre, « sed per hoc quòd est videre, et non videre. » (*Qq. dispp. de Verit.*, a. 1, q. 18, c).

188. Assertio 6^a: *Falsus est traditionalismus.*

I. *Falso nititur fundamento.* — Enimvero traditionalistæ contendunt imbecilliozem esse rationem hominis, quàm ut adinvenire possit abstractas, aut saltem metaphysicas et morales ideæ; ac proinde necessariam esse revelationem divinam, societate cuique transmissam ope sermonis ac magisterii. Sed hæc falsò asseruntur. Nam 1^o homo potest ideæ generales adipisci, modò intellectu polleat ac virtute abstrahendi et comparandi; quæ eum pollere perspicuum est. — 2^o Veritates metaphysicæ et imprimis existentia Dei, facili negotio per ratiocinationem educuntur ex principio causalitatis et mundanarum rerum existentia. Quisquis enim seipsum vel externas res inspicit, statim agnoscit sui et mundi hujus causam primam existere oportere. — 3^o Idem dixeris de veritatibus moralibus, quia plures earum non minori evidentia fulgent quàm veritates speculativæ. (Cf. *Log.*, n. 102).

II. *Falsa est traditionalismi rigidi de sermone theoria* quæ vult sine sermone hominem cogitare non posse nec ullis ideis instrui, et sermone prolato ideæ simul in audientium mente procreari.

At 1^o facultas cognoscendi non est alligata facultati loquendi; quare sine illâ exerceri potest. — Imo vero sermo cogitationem præsupponit, nedum procreat; siquidem nihil est aliud nisi expressio cogitationis quam mens in seipsa concipit; sed prius est cogitare, quàm cogitationem exprimere. — 2^o Sermo ex seipso non potest procreare ideam, quia cum eâ naturalem connexionem non habet, sed signis arbitra-

riis (1) coalescit, quæ ex *conventione* hominum habent ut alias potius quàm alias ideas significant; v. g. vox *homo* significat animal ratione præditum, quia huic nomini hanc ideam connectimus; unde nominibus diversis eadem res apud diversos populos venit. Quinimo sermo *intelligi* nequit, nisi ab eo qui prius *didicit* ejus relationem cum ideâ ab illo expressâ; alioquin nullam ideam suscitatur, ut scitè notat S. Augustinus: « Cùm mihi *signum* datur, si nescientem me « invenit cujus rei signum sit, docere me nihil potest... non « enim mihi rem quam significat *ostendit* verbum...; *itaque* « *magis signum re cognita, quàm signo dato, ipsa res discitur.* » (*De Magistro*, c. 7).

III. *Traditionalismus magisterii vim exaggerat simul ac minuit munus rationis individux.* — Nam, ex unâ parte, supponit evolutionem animi sine magisterio ne *inchoari* quidem posse, et ipsum *totum* in eo esse ut magister suas ideas in discipulo *infundat* animum, dum contra prioris est potius posteriore monere ac juvare ut suâ ratione utatur et quæ audit propriâ vi intelligat. Ex aliâ parte, cùm scientiam *omnem* a magisterio petit, cohibet rationem individuum ne per seipsam verum inquirat ac detegat veritates adhuc incognitas; sicque obstat scientiarum progressui.

Verius Aquinas noster: « Sicut aliquis dupliciter sanatur, « uno modo per operationem naturæ tantum, alio modo a « naturâ cum adminiculo medicinæ, ita etiam duplex est « modus acquirendi scientiam: unus, quando ratio naturalis « per seipsam devenit in cognitionem ignotorum, et hic mo- « dus dicitur *inventio*; alius, quando rationi naturali aliquis « *exteriùs* adminiculatur, et hic modus dicitur *disciplina.* » (*Qq. dispp., De Magistro*, a. 1).

189. *Assertio 7^a: Sermo primo homini a Deo infusus est; at nisi infusus fuisset, ab homine potuisset reperiri.*

(1) Signum in genere est aliquid sensibile quod rei cujusdam actu non perceptæ suscitatur ideam; v. g. fumus est signum ignis. Porro signum dividitur in *naturale* et *conventionale* seu *artificiosum*, prout *ex se*, vel *ex hominum instituto* aliquid significat; v. g. gemitus est signum naturale doloris, oliva signum conventionale pacis.

Propositionis 1^a pars simpliciter declarat inventionem historicam sermonis, et probatur contra rationalistas, quorum alii contendunt sermonem ab hominis industria seu labore inventum fuisse, alii autem volunt eum ipso naturæ impetu ac sponte suâ in illo effloruisse; ita Renan et Max-Müller.

1^o Litteris sacris constat primum hominem in statu *perfecto* atque humani generis *instituto* creatum fuisse; debuit ergo, ut scientiæ *habitu*, ita et sermonis *usu* statim donari.

2^o Litteris etiam sacris inducitur primus homo ab initio suæ vitæ loquens, suaque animalibus imponens nomina. Atqui, si sibi *soli* permissus fuisset, non *statim* sermonem potuisset adinvenire, et multò minùs sermonem satis perfectum ut animalia diversa diversis ac propriis nominibus designaret. Sermonis quippe inventio difficultatem præsert, ut colligere licet ex quotidianâ experientiâ; siquidem homines non loquuntur nisi ab aliis docti, et adhibitâ industriâ. — Imo etiam *docti* varias linguas non sine labore addiscunt. Quantò magis ac diutiùs laborandum ipsis foret, si eas inveniendas ac *formandas* suscipere deberent!

3^o Diversarum linguarum *collatio* nostræ sententiæ favere videtur; nam, fatentibus peritis, variæ linguæ ad tria *suprema genera* reducuntur, quæ ita in multis conveniunt ut multi philologiæ periti *communem* iis originem inesse opinentur (1). Quæ consensio in adversariorum hypothesi difficiliùs explicari posset.

Attamen S. Gregorius Nyssenus opinatur solam intelligendi ac verba propriis viribus excogitandi *facultatem* Adamo inditam a Deo fuisse: « hominem rationis participem a Deo « factum esse non negamus, sed verborum inventionem ad « ratiocinandi facultatem a Deo naturæ hominum inditam « revocamus. » (*Orat. XII, contra Eunom.*).

Prob. 2^a pars. Quippe minimè repugnat ut homo, proprio Marte, sermonis *artem*, perinde ac alias artes, invenire possit. Habet enim naturalem vim ad cogitandum, naturalem

(1) Cf. Vigouroux, *Manuel Biblique*, Anc. Test., t. I, 1^{er} part. ch. 3, § 3, n. 308 (6^e édit.).

propensionem ad cogitationes suas exprimendas, necnon ad productionem sermonis organicam. Sed hæc satis sunt ut possit aliquam rem sensilem *articulato* (1) quodam sono nominare, et deinde uti vocabulis ex rebus materialibus desumptis ad res immateriales significandas.

190. *Objectiones* Traditionalistarum vel *nimis* probant, vel *nihil*; nimis quidem, si contendunt hominem non posse cogitare quin prius loquatur, ut jam demonstravimus; nihil autem, si volunt eum non posse sermonem adinvenire, nisi prius constitutivas illius leges omnes calleat. Non enim requiritur ut homo linguam *perfectam* statim reperiat, sed posset eam, perinde ac cæteras artes, lento progressu formare, et post longam hæsitantiam ad eruditam sermonis harmoniam paulatim adducere (2).

CAPUT II

DE VI OBJECTIVA ET NATURA IDEARUM UNIVERSALIUM

Vim objectivam et naturam idearum universalium in præcedenti capite non latenter innuimus, siquidem probavimus

(1) Vox articulata essentialiter differt a *clamore* (cri) quo solo fruuntur animalia ad exprimendas suas passiones. Vox est sermo *rationalis* aptus ad exprimendas ideas generales, et consistit in compositione sonorum articulorum quæ *vocales consonantibus* temperantur; consonæ quippe se habent ad vocales, ut articuli ad corpus.

(2) Adversarii, ut probent suam sententiam, afferunt exempla ex surdo-mutis, vel ex quibusdam hominibus in sylvis enutritis. At 1° hodierni surdo-mutorum institutores, inter quos Berthier, ipse surdo-mutus, testantur surdo-mutos, si satis ætatis habeant nulloque corporis vitio laborent, non paucis instrui notionibus, etiam abstractis et moralibus, cum in educationis domibus recipiuntur. — 2° Monet D. Thomas homines « nutritos in sylvis, vel inter lupos, posse sequi ductum rationis, in appetitu boni et fugâ mali. » (*Qq. dispp. de ver.*, q. xiv, a. 11, ad 1.) — Quæ autem adversarii afferunt exempla, vel fabulam redolent, vel sunt de quibusdam infantibus, vel hominibus certo vitio laborantibus.

universale inchoari a naturâ et perfici ab intellectu. Cùm autem hæc quæstio gravissimi sit momenti, ac nullo non philosophiæ tempore magno æstu agitata, præstat varias philosophorum sententias referre, et veram declarare.

ARTICULUS I

Recensentur variæ philosophorum opiniones circa naturam idearum universalium.

191. Prodiit hac de re quadruplex sententia, scilicet *nominalismus*, *conceptualismus*, *realismus formalis* et *realismus temperatus*.

1° *Nominalistæ* asserunt universalialia esse mera nomina sive flatus vocis, quibus nihil nec in mente, nec extra mentem respondet; at universalialia dici eò quòd vocabula quæ prius singulis individuis tantum tribuebantur, postea extensa fuerint ad significanda plura individua individuis jam notis similia; ita sensualistæ cujusvis temporis, in mediâ ætate Roscelinus et Ockam, nostris verò diebus omnes positivistæ. Nec aliter sentire licebat sensualistis; cùm enim doceant cognitionum nostrarum fontem unicum sensus esse, cùmque nihil sensibus percipi queat nisi singulare et individuum, sequitur universalialia in vocibus tantum consistere.

2° *Conceptualistæ* negant universalialia in solis vocabulis esse, et dicunt ea haberi debere tanquam mentis nostræ *notiones*, quin tamen quidquam iis in naturâ respondeat. Stoicis placuit ista sententia, quam probavit Abailardus et recens tenuere multi innatarum idearum fautores, ac speciatim Kantius. Et hi quidem suis placitis de idearum universalium origine cohæserunt; quoniam enim eas non ab experientiâ docent accipi, sed velut innatas subjecti cogitantis formas inducent, pro conceptibus merè subjectivis eas habeant necesse est.

3° *Realismus formalis*, ut ipsum nomen sonat, est opinio eorum qui tenent universalialia extra mentem sub universalialitatis formâ realiter existere. Triplici modo sententiam suam